

Püspöki Sylv. Joannes

III, 956.

DISPUTATIO HISTORICO POLITICA

De

ORIGINE, INCREMENTIS & VARIIS RERUM PUBLICARUM MUTATIONIBUS

~~III, 957.~~

~~Sylv.~~ 1655.



Szabó III, 1919 1939.

24 buc.

a Történettud. Intézet ajándéka.

Magyar Tudományos Akadémia
Könyvtára 56.455/1952 sz.

32

DISPUTATIO
HISTORICO POLITICA,
De
Origine, Incrementis & variis Rerum
Publicarum Mutationibus.

QUAM

Favente Unico & Supremo Rerum Monarcha

DEO. OPT. MAX.

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi Viri

D. GEORGII HORNII, In Alma Academia
Lugduno Batava Historiarum Professoris Ordinarii.
Publico Examine disquirendam subjevit

JOANNES Sylv. PÜSPÖKIUS, Ungarus.

Addiẽm 20 Martii, horis locoque solitis.



LUGDVNI BATAVORVM,

EX Officinã PETRI LEFFEN, Anno 1655.

R. M. K. 342.

GENEROSO, NOBILI, ET VIRTUTE
POLITICA PRÆCLARO DOMINO.

PETRO. L. BALOGH DE PÜSPÖKI
VIRO, RELIGIOSO, VERITATIS, ET LI-
BERTATIS CHRISTIANÆ AMATORI SYN-
CERO: AVUNCULO, AC STUDIORUM MEORUM
PARENTI, FAUTORI, ET PROMOTORI, DEVO-
TISSIMO, PIENTISSIMO.

VT ET

ILLUSTRISSIMÆ, AC CELEBERRIMÆ SCHOLÆ VARA-
DIENSI. VIRTUTUM, SCIENTIARUM, MINERVÆ-
QUE PATRONÆ BENIGNISSIMÆ, &c. ALMÆ
MEORUM STUDIORUM MATRI, GENITRICI, ET
NUTRICI FIDELISSIMÆ.

Has Academicorum Exercitiorum primitias pro ingentibus in
me meritis, debito, quo possum animo sacras facio, & ad aras
gratitudinis testificandæ, Tutelæ vestræ confesco, ac in æter-
num observantiæ *πρωτογον* L. M. Q. inscribo.

*Perpetuus Nominis, virtutumque vestrarum
Cultor & Alumnus.*

JOANNES Sylv. Püspörkius.

Author & Defensor.

DISPUTATIO
HISTORICO POLITICA

THESIS I.



E Rerumpubl. origine, incremento, commodis & incommodis Deo Duce acturi, convenientem illis Sedem ex Disciplinarum campo Politicam deligimus, cujus Originem *πολιτῆς, πολιτεία* græc. à Civitate dictam deducimus, hinc *ὁ πολίτης* vocatur Civis is verò, qui actionibus publicis Reipubl. causa conspiciuntur dicitur Politicus *Schonb. Pol. 1. c. 2. Besold. Class. 1. Disput. 1. Politica in usu. Latè vel Strictè accipitur. In primo significato usurpatur pro Gentis alicujus univèrsa Societate, cum ejus administrandi modo & sic dicitur Respubl. Hungarica, Polonica, &c. Strictè, cum Regiminis ordo constitutus, certis locis, aut Statibus adstringitur. Sic Respubl. Veneta, &c. Hoc sensu complectitur Politica diversas humanæ vitæ conditiones, quibus certa aliqua Societas, vel ad honestatem ducitur, & tum Civilis; vel ad Salutem dirigitur, & tum Ecclesiastica est, utraque Politicum Statum de notat unum. Denique accipitur *Populariter & Philosophicè*. Populariter pro omni Societate ad vitam Civilem pertinente, & sic Politicus ab Ecclesiastico non differt, Ames. medull. Theol. 32. thes. 18. *Philosophicè*, pro Philosophia practica, quo sensu etiam architectonica vocatur Aristot. 1. Eth. 2. Item pro Systemate ex Præceptis constante, nec non pro Facultate Politica qua quis Rempubl. gubernare & administrare valet.*

II.

Politica est prudentia de Republ. bene judicandi, eam rectè constituendi & ad Salutem Civium administrandi. Est Regia Scientia, qua membra Rerum publ. inter se, quasi anima juncta, æquabili virtutum Temperamento uniantur. Socrat. in Arcopog. Est Scientia architectonica, quæ ultimam finem præscribit, & omnes Civium operas secundum Artes disponit. Arist. Est vita, hominum in Societate mixtim degentium. Lipsius pol. 1. c. 1. Ita Cic. Plutarch. & alii, aliis verborum varietatibus, sensus tamen per exigua aut nulla differentia definiunt. Forma Politicæ est Prudentia, quæ non tam in cõtemplatione consistit, quam in praxi; Non sufficit enim Politico Generalem, aliquam conservandæ Reipubl. rationem in mundo dari, scire, eamque contemplari, sed illud cum primis requiritur ut eam æquis legibus ad Salutem Civium applicare possit. Hoc destituti Philosophorum Coriphæi quam plurimi vana rerum speculatione corrupti, ne dum Politicæ consulissent, quin imo Societates fugerunt, quorum vestigiis prudenti Politico in omnibus insistere nec utile, nec salutare est. Super genere Politicæ constituendo quoniam lites agitatae nec dum suis cancellis ita inclusæ sint, quin controversias spargant, igitur largimur, prout quis volet, sive Prudentiam, sive Scientiam, sive Artem, appellet, nobis tamen vix laborem faciet, si hoc bene consideret, quod harum una Practicæ, & habituali convenientius, altera Systematicæ, seu Præceptuali Politicæ conveniat. Differentia de Republ. bene judicandi, ac administrandi, verbis comprehenditur, quæ tum restrictionem generalitatis, tum distinctionem Specificam sonant inter Ethic. Oeconom. Politic. Finis exprimitur, qui est ad Salutem Civium. Politica est Generalis, vel Specialis. Illa de Judiciis, Pœderibus, Civium exercitiis, incrementis, morbis, & everfionibus. Hæc de Familiis, Civitatibus Magistratu,

gistratu, Populo, Civium statibus & bonis agit.

III.

Objectum Politicæ per se patet, quod sit Civitas, vel Cæ-
tus aliquis hominum in quem certus ordo vel introducen-
dus, vel introductus conservandus est. Quæ autem regimi-
ne aliquo opus habent sunt Tria: *Homo: Domus & Civi-
tas*, quo & *Regnum* referimus, quisque *se regit Ethicè,
Domum, Oeconomice, Civitatem & Regnum Politicè*. Duo
priora privatam, posterius publicum bonum concernit.
Hic jucunda Politicæ harmonia exhibetur, homo enim ad
Familiam, Familia ad Civitatem, civitas ad Regnum
communi vinculo ordinatur, & Famalia ex multis homini-
bus Civitas ex Familiis componitur. Gradatio hæc, Ethicæ,
ad Oeconomiam, illius ad Politicam, est quasi hypotiposi-
s, Monarchiæ, Aristocratæ & Democratæ. Unde uni-
versa Politicæ moles tribus veluti fundamentis, *Consilio,
Viribus & Iudiciis* nititur, quibus tota integratur & specta-
bilis fit, sed illis orbata de formis redditur ejus consideran-
da *Origo & Incrementum*. De origine duplex genus homi-
num, dupliciter sentit, *Primum*, floridum in V. T. Politi-
cum Imperium, (quod nos asserimus, neque in N. T. abro-
gatum, sed sanctè semper veneratum, impie negando con-
culcare studet, dum Imperantes Reges, Principes, Migi-
stratus, Tyrannos, Tortores, & Carnifices nominat. *Aliud*
Servilem conditionem Adami lapsu irrepfisse, cui medendi
Politicum Statum asserit. quibus explodendis merito labo-
rarunt. L. Danæ in Pol. Christ. l. 1. c. 4. Tholoff. De Re-
publ. l. 1. c. 2. Kecker. Disput. præct. 29. prob. 3. Tim. l. 1.
c. 4. quæst. 10. &c. Et quoniam in prima hominis creatio-
ne etiam statim, aliqua Politicæ forma apparuerit, mulier e-
nim Viro in Sociam data, in Subjectionem creata in gene-
ratione, denique potestati subdita fuit, colligimus in sta-
tu integritatis aliquam Politicæ formam fieri debuisse, quæ

si non legibus coercerentibus, tamen dirigentibus ad ministrata fuisset. Etenim omnia Dei Opt. Max. opera, nec sine ordinata existunt, neque natura, quicquam absque ratione meditata fuit, quin multa, ordine, unum quoddam fierent. Scd. Exercit. 2. de subtilit. Deinde ipsa etiam ratio docet hominem semper animal sociabile, propagato genere aliquam Societatis Politicam instituisse debuisse in qua ab aliquo dependentiam reliqui observarent. Neque ordini congruit Amplissimum Mundum unam Societatem fieri oportuisse, sed felici gubernio in Familias, Societates & Respubl. dividi. Neque libertati derogasset Reipublicæ formas induci, quæ cum perpetua libertate stetit de qua etiam Hesiod. in lib. oper. diem. somniabat, cujus mentem Ovidius lib. 1. Metamorph. sic imitatus est.

Aurea prima fœta est ætas, quæ vindictæ nullo
Sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat.
Fœna merisque aberat, nec vincula mansa suo

{ Aræ ligabantur nec supplex turba timebat.
Iudicis oris sui, sed erant sine iudice tui.

Ex sapientissima Dei providentia homines inter se legibus junctos semper coluisse aliquam Societatem post lapsum Adami nullus dubitat, verum quomodo, & unde originem sumpserit civilis hominum vita, in eo diversi diversa sentiunt, quidam homines in Montibus & Sylvis ferarum instar, hinc inde degentes Suadâ oratorum & Poëtarum in Societatem convenire casasque figere permotos putant. *Vtque alios alii de Religione docerent, Contiguas pietas iussit habere domos.* Diod. Sic. l. 1. c. 8. Tholoff. & Respubl. l. 1. c. 2. &c. quidam visu ignis, vel Frigore, vel Amore colendo, &c. Excellunt tamen qui confluxum hominum metu potentiorum, sui defendendi causa ortum existimant, id etiam hodierna Rerumpubl. conditio ex parte probat. Et Cic. l. 3. offic. natura homines congregatos spe rerum defendendarum custodiam urbium quævisse asserit. Sed & necessitas vitæ mutuarum operarum subsidia postulavit, ut naturali inclinatione & concordia animi in illam fortunam elucta.

eluctarentur in qua parta tueri, ac quod singulis de effectis omnibus petere possent, hinc Societas omnium, ita singulorum in illa viventium commoda respiciens coaluit Tacit. in vita Agric.

IV.

Materia Rerumpubl. est proxima vel remota. Illa est *Familia, Societas & Ciuitas*. Hæc, est ruina vicinarum, sic Albanæ ruina fundamentum dedit Romanæ, Babilonica Persicæ, Persica Græcæ, &c. vel *concessio libertatis, promissio privilegiorum*, qua etiam allecti Cives Romani. *Varietas Artium linguarum, commertiorum nationum &c. Concordia* qua res parvæ crescunt & sine qua maximæ dilabuntur. Vel denique *Translatio* Coloniarum, sic ex Europæ partibus in Indiam, sic Colonia Agrippina in Germania ab Augusti Genero ædificata, &c. *Forma*, est ordo, seu unio ex legum moderamine resultans. *Causa efficiens*, est prima vel secundaria. Illa est Deus omnis ordinis Author Rom. 13. *Ÿ. 1. Dan. 2. Ÿ. 15. 16. 21.* Hæc, Natura, recta ratione prædita, quæ homines omni Ape, aliisque gregalibus animantibus in Politicam Societatem civilius coëgit. Huc spectant primi illi Rerumpublicarum Fundatores Nimrod, Cyrus, Alex. Maced, Romulus, &c. *Finis* est Salus, honestas, & beatitudo publica. Huc faciunt omnes Artes & Facultates quibus vita beata instituitur, iustitia & virtutum chorus in Societates intro ducitur, suum cuique redditur, scandala evitantur vitia prohibentur, corriguntur & puniuntur. Merito vapulat hac in parte Machiavell. Finem Politicæ suavissimam rerum Divinarum contemplationem statuens. Quam vis harmonica Reipubl. concordia eo etiam spectet ut Ecclesiæ nutriantur ac foveantur, accuratè loquendo tamen neque Religio, (quæ hominis potius quam Politicæ) erit Finis.

V.

In bene constitutæ Reipub. incremento Duo excellent ,
Imperium & Subjectio , seu Magistratus & Subditi. Id voluit
 Deus innuere per Apost. Rom. 13. *V. 1.* Et quoniam
 natura etiam in omnibus ordinem intendit , nihil conveni-
 entius illi quam quosdam ad Imperii fastigium evehi, non
 nullos autem obsequio subjici. Cyclopicam ergo Anar-
 chiam, absque dependentia & Subjectione constantem , ut
 Tyrannide deteriorem explodimus; etenim maximo poenæ
 loco comme moratur illud in sacris : *Temporibus illis autem
 non erat Rex, sed faciebat qui libet ut rectû ipsi videret ur*, Judic.
 1. *V. 6.* Idem redolebat mos antiquus Perfarum, cum Re-
 ge defuncto quinque dierum spatio liberè quidvis faciendi
 arripiebant libertatem , quæ tandem ut publicum malum
 sublatum est. Stob. leg. Persic. sermon. 42. Hinc prudens
 Hebræorum dicterium : nisi *metus*, h. e. Magistratus *esset*,
unus alterum vivum devoraret. Duppliciter hic impingit
 turba Menonistarum. 1. cum spreta forma Politia, Statum
 Oeconomicum colere satis esse arbitratur. 2. cum Magi-
 stratui à Deo concessum gladium , i. e. potestatem eripere
 conatur. Cum vero Imperium non mere juris positivi sit,
 cum Dominio nullo modo confundendum est , ad clavum
 Imperii enim sedentes rectius Directores, vel. ut Plato voluit
 Custodes , quam Domini dicuntur , Senec. lib. 7. c. 5. 6.
*de Benefic. Sub optimo Rege, Rex omnia Imperio, singuli
 Dominio possident. Cæsar omnia habet Fifeus privata. Im-
 perium univèrsa*, &c. Imperium consistit in jurisdictione,
 homines gubernandi, protegendi, & ab illis debita emolu-
 menta accipiendi ; Dominium verò consistit in autoritate
 res sibi proprias efficiendi , & vendicandi. unde imperium
 in omnes subditos jure exercendum libertatem stabilis ,
 quando quidem etiam obtemperandi rationem natura ex
 neçessitate hauserit, ut illi, qui à natura ad serviendum dantur ,
 vel

vel potius parendum dantur, cum ratione & æquitate con-
juncta imperata sponte sequantur, docente *Philosopho*.

VI.

Quibus carceribus inclusus, ad quas metas extensus, & per quos tramites progressus fuerit Reipubl. status, rem penitus introspicere cupienti aliqua saltem Chronologiae facula prælucente opus est, ut per illam Mundi partem qua Europa porrigitur, diffusum Politices jubar in Rebuspubl. quasi ad oculum fulgens spectetur, & quid multis? celebratissimus ille Romani Imperii status, id omne exhibet, si per ætates suas, quas illi Florus attribuit, percurratur. Aetas prima, quæ ejus infantiam jam exhibet, continua serie sub Regibus septem maximo incremento confurrexit, ante natum Mundi Salvatorem annis circiter cccccccl. Regius hic Imperii Rom. status duravit an. ccl. Luc. An. Flor. ab iisdem Regibus Populus certis legibus, quæ Regiæ dicebantur feliciter directus in urbe cum ita augetur, ut mox in Curias, Decurias distribueretur, leges à Regibus latas, sua approbatione, curiatis & centuriatis vocari effecerunt, quas Sextus Papirius ad unum corpus revocans, Civile Papirianum nomine suo vocavit. His legibus census introductus, Patrimonii dignitas officiorumque discrimina in Tabellas redacta. Pontifices, Vestales, Flamines aliaque religiosa fuere ordinata. Tandem Senatus, primum quidem ex c. deinde cc. demum ccc. viris eligebatur, sub quibus infantiae Rom. ætas multis facinoribus decorata, legibus aucta & confirmata, tandem clandestina Romuli Regis primi morte, & Tarquinii Superbi Regis ultimi à Dignitate Regia remotione tanquam perpetuis monumentis fuit consignata. Secunda Imperii ætas, Adolefcentia, liberum & popularem Reipubl. statum continua serie intra annos ferè ccccc. ad Augustum usque devolutum complectitur, in quo tres Epochas successive, diversis temporum

B periodis

periodis notamus; *insulas* certijuris, *insulas* æquabilis juris
& *insulas* validi juris. Prima Epocha annis LX. Regibus &
legibus ab illis latis, exceptis legib. à Servio de contractib.
una cum umbra potestatis Regiæ sublatis decurrit, & quæ
Tarq. Sup. abrogarat iterum Consil. & Trib. de statu Im-
perii ad usum revocabant. Sed cum Populus in Contro-
versis incerto jure ageret, ac potentiores Patriciique
Coss. nullo præscripto legum jura redderent, non nisi se-
ditionum & discordiarum spargebantur semina, quibus
moti Trib. pleb. de conscrib. legib. petitiones proferre
sæpius non intermiserunt, quæ tandem prævaluerunt,
sicque secunda incidit Epocha in qua omnium sententia
stetit leges adventitias à Græcis petere, qua in re sexennio
absumpto tres legati in Græciam mittuntur, quibus trien-
nio elapso reversis, proximo anno decem viri ad leges de-
scribendas eliguntur; inter quos Appius Claudius. Hi
Hermodori Græci cujusdam opera usi, egregia quæ-
que Græcorum consignarunt quibus omnibus in unum re-
ductis x. Tabulas conscripserunt, sed cum tumultuum un-
dique æstuantium ansa præripi nequiret, decem-viris
loco motis, Tribuni Militum suffecti sunt. Postmodum
iterum ad Consules fuit res relapsa, ac legibus Regiis non-
nullis re assumptis Tab. x. addebantur duæ, & sic æri inci-
sæ leges publice proponebantur, unde totum Jus Roma-
num originem suam desumpsit. Cicero omnium philoso-
phorum bibliothecis, pondere authoritatis, & ubertate uti-
litas anteponebat libellum XII. Tabularum, quarum
frequens usurpatio in Carmen solemne vertebatur sicque
publico Foro destinatis consulebatur. Quod imitatus
etiam in Tripartiti Juris Regni Hungariæ compendio
Rhythmis vulgaribus redditis, Joannes Okolyczani. Hac
Epocha annis L. multum Roma domi luctata, & annis fe-
re cc. Orbem Terrarum domandi studio incensa fuit, cir-
ca quæ

ea quæ plura dicenda à nobis instituti ratio intacta relinquere jubet. Tertia Epocha Statum popularem post leg. XII. Tab. per annos CCCCXL. legibus confirmatum exhibet. Tunc enim maximum juris cepit incrementum cum ex XII. Tab. leg. deducebatur. 1. Disceptatio Fori ex cuius exercitatione jus illud civile natum est. 2. Legis actiones. 3. Leges novæ. 4. Plebiscita. 5. Edicta prætorum. 6. Responsa sapientum & Senatusconsulta. Ad hæc tempora Adolescentia & robusta juvenus Rom. Imp. extenditur, nam sub Augusto in senectutem adhuc crudam incidit, à Constant. Magno decrepitam habuit. Tacit. in lib. Annal. & alii.

VII.

Difficillimus & plane Herculeus labor erat feros hominum animos legum harmonia in unum quasi corpus Politicum conjungere, sed difficilius illos invenire qui Rempub. optime administrarent, repertis tamen illis ad summam rerum duplex sternebatur via perveniendi, *Electio & Occupatio*. Illa est jus liberum unius cujusq; alteri præscribendi & ad summam rerum administrationem vocandi, quo quidem nomine laudatissimum semper est ad Imperium pervenire: hoc pacto enim & clementibus satis fit, & electo, ut qui conscius sibi esse potest, se id nec vi, nec ambitione, neque denique malis artibus, obtinuisse. *Occupatio* est autoritas quum quis sibi adscribit regnandi super illos, à quibus nec vocatus nec probatus est. Est *æqua* vel *iniqua*. Illa est, qua quis etsi non vocatus tamen imperandi virtutibus instructus suum Imperium probat. Hæc, cum quis aperte, aliis invitis Imperatorem & Principem sese obtrudit. Ex his oritur *Successio* quæ est jus hæreditarium potestatem (etiam aliis oblatam) accipiendi & amplectendi. Ad decisionem controversiæ Politicæ nam *Electio Successioni* vel contra, præ-

ter ? medium tenentes, bene nasci & succedere in Impe-
 rio illos, qui nec nati nec succedentes eligi debebant sta-
 tuimus, & vicissim. Successionem natura, Electionem ho-
 mines perficiunt, utramque tamen ingenitæ & acquisitæ
 dotes confirmant. Cum autem per sæpè Heroum Filii noxæ,
 ex dignis indigni nascantur, licet sanguinis claritudo ad vir-
 tutes classicum canat, populi tamen interest ne quo pacto
 ut meriti, ita & immeriti ferendi imponat sibi necessitatem,
 quia Imperii ordinem ac methodum populus à Deo accep-
 pit, sub onere justæ administrationis in Principes contulit,
 à benè meritis usurpari, ab immerentibus restitui jure po-
 stulare potest. In Electione unica & summa hæc observan-
 da est prudentia ex imitatione Divinæ Politicæ, ut non Ma-
 ximi Optimis, sed Optimi Maximis anteponantur.

VIII.

Tota moles Politicæ dividitur in Monarchiam, Aristo-
 cratiam, Democratiam & Mixtam. Cum Respubl. ab uno
 regitur Monarchia, cum à pluribus Optimatibus Aristocra-
 tia, cum à multis popularibus Democratia, vel cum ex his
 indiscriminatim Mixta dicitur. Monarchiam cæteris Re-
 rumpublicarum formis natura, ratio & usus ante posuit,
 quæ in Familia instar Monarchæ præfidentis Patrisfam. po-
 testate optime repræsentatur. Illi opponitur Dyarchia seu
 Duum Triumque Viratus, Anarchia & Poliarchia. Ut
 enim tædæ, sic illa plures non admittit socios. Estque
Dominica vel *Regalis* Illa est cum in rem & personam pote-
 stas extenditur, ut Patrum in Fil. Serv. & eorum bona. Con-
 dominium non est Monarchicum: cum autem penes Fœ-
 minam Monarchia existit, illà in individuam vitæ consuetu-
 dinem cum altero conjunctâ, vel penes eam solam mane-
 bit, sic olim Mariâ Angliæ Regina Philip. II. Hisp. Regi
 nupta Imperium retinuit Thuan. l. 13. vel in alium statum
 mutabitur. Quando vero Rex cum Regina pari authorita-

te Regnum administrant, ut Ferdinand. Arragonius. & Elizab. Castiliana. Albert. Aust. Dux & Isabella Clara Eugenia, Mariti non perpetua, sed Curatoria potestas est, quam Uxore defuncta remittere debet. Sed quoniam mulieres ad parendum potius natura quam ad Imperandum dedit, minus probatur Gynæcocratia ne sexus infirmitas malum Reipublicæ pariat. Xenoph. in Oecon. Alex. Sard. August. in Gen. 153. *Regalis* Monarchia est, in qua Princeps salva subditorum libertate & proprietate, Rempubl. administrat. Talis fuit in Anglia, ubi Parlamentum non contradicebat, sed si quæ minus bona viderentur Regi dissuadebat. Smit de Republ. Ang. l. 2. c. 4. 5. in Scotia Jacob. Rex in oper. fol. 187. Monarchia sub Imperatoribus secundum suas Epochas annis fere cccz. duravit, ab Augusto ad Constantinum Mag. primum Christ. Imp. intercedentibus Tiberio, Caio, Claudio, Nerone, Vespasiano, Domitiano, Trajano, &c. à Constantino ad Theodosium juniorem, demum ad Imperatorem Justinianum deducta fuit. Cum Imperium corrumpitur à multis discordibus non melius administratur quam si uni reddatur ratio, ut recte Tacit. l. 1. Annal.

IX.

Polyarchia est in qua plures unius vicem referentes imperant. Tales sunt Principatus collectivi, quia jurisdictionis exercitium non penes unum, sed plures quasi Collegas est. Sæpe tamen ex hoc Monarchia resultat præcipue tempore tumultuoso, cum præ cæteris unus virtutibus & dignitatibus valens eligitur. Tales erant in Israël Judices, inter Græcos Aesymæta, apud Achæos Prætores, &c.

Talis fuit Dictatura apud Rom. cujus tamen plena potestas erat penes Consules, atq; pro ratione Reipub. variabat. Alex. ab Alex. lib. 4. c. 23. Sylla autem propter perpetuam Dictaturam Tyrannidis insimulatur. Halicarnas. l. 5. in fin.

quem Cæsar Soloecifimum Politicum commiffiffe dicebat quod ea fe abdicaffet, privatum ftatum amplexus. Polyarchia eft Ariftocratia, vel Democratia. Illa eft in qua pars nobilior virtutum ftudiofiffima propter beatitudinem reliquorum jus poteflatis retinet. Eftque Electiva & Subrogativa. Illa fit ex perpetua, vel annua populi electione. Hæc ex optimatum loco vacanti fubftitutione, prior inter bonorum paucitatem recenferi poteft. Hanc formam politiæ conftituunt fanguinis fplendore, opumque potentia adminiftrantes Rempubl. ut Venetiis, Norim. &c. unde facile Anarchia exoriri poteft, fi nobiles & divites propria curent, publica negligant, cujus evitandi gratia ex liberis Civitatibus excludebantur olim Nobiles. Verùm optime temperatus Ariftocratiaæ ftatus is demum putandus in quo dignitate, virtute & meritis infiores, fine refpectu Nobilitatis & divitiarum, promoventur. Sic fiebat in politia Ifraclitica tempore Seniorum Tribuum, Familiaque Principum, Iofuæ 21. V. 14. Iudic. 1. V. 2. &c.

X.

Democratia eft in qua fummum jus penes populum, vel majorem ejus partem confiftit. Hinc aliquando ^{ut illo} dicitur Respub. eo quod omnia magis publica & popularia fint. Et quoniam populus conftat opulentioribus & tenuioribus, patriciis & plebeis, dum Magiftratus & dignitates patriciis conferuntur ut Romæ, ante L. Canuleam, Timocratia dicitur: cum plebs errore popularitatis prævalet Laocratia vel Ochlocratia appellatur. Sic olim plebifcita Senatus cogebatur approbare. Democratia confiftit in Eligendo, & corrigendo Magiftratu. Eftque libera, vel adftricta. Illa eft cum omnes fecundum numerum ex æqualitate juris faluti populi deftinantur. Fit autem, 1. Cum eadem libertate divites & tenuiores extolluntur. 2. Cum ex cenfu exili Magiftratus difpenfatur. 3. Cum fufpecti, & illegitimi

tini non admittuntur. 4. Cum nulla habita ratione suspicionis, consulendi dotibus præditi adhibentur. 5. Cum ex decreto populi citra leges etiam res administrantur. Hujusmodi Democratia fundamentum sola libertas est. Hæc Isonomiam & æqualitatem diligit, hinc leges agrariae. Sed in Repub. hujusmodi licentia, ut subitis mutationibus obnoxia multorum judicio vapulat. Bodin. l. 6. c. 4. exemplum hujusmodi incommoditatibus in Repub. Rom. luculentum præbuit summa illa libertas populi, qua Senatus auctoritas sæpe corrumpebatur, crimina omnis generis multa & impunita dimittebantur: hoc morbo corrupta etiam Atheniensium longe quæsitum Imperium domi primū amisit, &c. Democratia *adstricta* est in qua populus jus summum retinet, sed omnia per Magistratus exequitur sic: dicitur Princeps non major esse in Monarchia quam populus in democratia. Hinc *Senatus decrevit Populus jussit*, Liv.

XI.

Hæc de simplicibus politia formis; super est orta, quæ est Mixta de qua Clapm. de Reip. Arcan. l. 5. c. ult. plura. Oritur autem cum Reipub. forma vel in aliam mutatur, ut Regalis Monarchia Romæ, in Aristocratiam Consulum & Trib. pleb. Democratiam, post ad Principes & Cæsares continua mutatione variata fuit. Unde Romæ fortunas descripturus Tac. l. 1. Annal. inquit: *Urbem à principio Reges habuere. Libertatem & consulatum L. Brutus instituit neque decem virialis potestas ultra biennium, neque jus Consulare Tribun. militum, diu valuit. Antonii & Lepidi arma in Augustum cesserunt, qui cuncta discordiis civilibus fessa nomine Principis sui Imperium accepit.* Hic nulla Majestatis proportionalitas est, sed vel ordinibus, & deputatis præ aliis statibus eminentibus jura tribuuntur, ut in Capitulatione Electorū Rom. Imperatorem eligentiū, in Regno Poloniæ in Comitibus Nobilium potestate eminentium,

num, &c. Fit autem mixta Politia, dum Monarchia cum Aristocratia & Democratia seorsim, vel utraque simul ita permiscetur, ut speciali nomine distingui nequeat. Monarchico Aristocratica fuit administratio Reipubl. Judaicæ sub Synedriis & Septuaginta Senioribus. Cuius de Republ. Hebr. l. 1. c. 16. 17. Talem refert Status Hungariæ in quo Rex eligitur, cui Palatinus, Senatores & alii Regni administratores addi solent. Monarchico Democraticus fuit status Rom. sub Servio Tullio. Monarchico Aristocratico Democraticus Lacedæmoniorum. Polyb. l. 6. c. 4. Mixtam Politia formam refert ubi Majestas non modo constitutione, sed etiam administrationis ratione, denique certis quibusdam legibus ac privilegiis circumvallatur, ut. 1. Jurejurando in certa capitula concepto. 2. Apposito custode libertatis. 3. Cautione legis commissorie ut Politici vocant. Hoc casu contraventionis Imperio indignum Magistratum amovere illique obsequium denegare solent. Subditi sunt. 1. *Paſſitii* qui certis conditionibus se submittunt. 2. *Exemptitii* qui libertatem adipiscuntur. 3. *Privilegarii* qui gratia Principum utuntur. Secundo mutatur forma Politia cum in vitia & Defectus prolabitur: ut Monarchia in Tyrannidem, Aristocratia in Oligarchiam, Democratia in Ochlocratiam. Tyrannis est cum unus supra omnes Dominium exercens Subditis gravissima & non ferenda mala imponit. Oligarchia cum optimates neglecto publico propria curant. Ochlocratia cum omnes sine lege & ordine omnibus præesse & omnia administrare volunt.

XII.

Ad constitutionem, & administrationem Politia faciunt Conservatio & Amplificatio. Ubi excellunt quædam Arcana tam ex parte Magistratus quam Subditorum. Ex parte Magistratus sunt varia. 1. Cum imperata res ingrata populo videtur, gratioris præensione insinuat, 2. Cum no-
vum

vum aliquod introducendum veteris & consueti ostentatione consequitur. Tacit. l. 1. An. 3. Cum Majestas neque charitatem vimiam, neque asperitatis crudelitatem prodit.

4. Cum caput rei non omittitur.
5. Cum persuadetur populo rem non ideo urgeri, ut sit, sed quod necessaria sit.
6. Cum occasio oblata in utilitatem quaesitam convertitur.
7. Cum semel imperatum perpetuo obsequio demandatur.
8. Cum imperata tædio ferentibus laxatio promittitur.
9. Cum impossibile, vel saltem difficile non imperatur.
10. Cum non permittitur populo in imperatarum rerum causas inquirere. Plura apud Clapmar. Ex parte Subditorum Arcana sunt etiam varia.

1. Cum non cito, nec statim assentiuntur imperatis, quæ ad difficilia viam sternere videntur. Multa enim imperata cum hamo conjuncta inquit Plato.
2. Cum Tyrannidi non pertinaciter, sed cum aliqua moderatione se opponunt.
3. Cum rei cum deliberatione admittendæ non statim denegatur obsequium.
4. Cum obedire nolunt, obsequium simulant.
5. Cum alias præstiti obsequii argumento idem, vel simile imperatur, prius non obsequium, sed vim fuisse ostendunt.
7. Cum duris imperatis ita obsequuntur, ut in alia re securitatem stabiliant, &c. Et sic internis morbis laborantes Respublicæ sæpe interire, vel saltem secum luctari solent, præcipuè si.

1. Avaritia regnet.
2. Virtus posthabeatur.
3. Si contumelia vigeat.
4. Si contentus adsit.
5. Si res parvæ negligantur, seditionum Principia non tollantur. Ubi inclinatio Reipubl. ex præcedentibus signis cognoscitur, hæc media salutaria adhiberi possunt, quæ si totum malum non tollunt, tamen mitigant.

1. Si leges nec augeantur nec minuuntur, nec immutentur.
2. Si malis mature resistatur.
3. Si injuria nemo afficiatur.
4. Si pro merito publicum bonum ametur.
5. Si concordia colatur & lites in prima (quod ajunt) herba suffocentur.
6. Si justis legibus vivatur, &c.

XIII.

Amplificatio Politicæ ex Societate domestica oritur, quæ est *coniugalis*, seu Coniugalis, Patria, & Herilis. Coniugalis est hominum officina, origo Societatis, & Seminarium Reipubl. Estque à Deo in Paradyso ordinata. Cives ejus sunt Maritus & Uxor, quibus sancto foedere coalescentibus constituitur conjugium, quod est *Maris & Famine legitime inter se consentientium ad sobolis procreationem & mutuam adjumentum individua vita conjunctio, seu divinitus instituta consociatio*. Ad hoc requiritur. 1. Legitimus, liber, & à sano iudicio profectus consensus, tam contrahentium quam eorum Parentum & Curatorum. 3. Aetas matura matrimonii oneribus ferendis sufficiens. Illa ab Aristot. 18. Platone 10. Hesiodo 15. Iustiniano in viris 14. in Foeminis 12. Aetatis annus statuitur. Nihil ominus prohibentur ab hoc *Impuberes, Furiosi, mente capti castrati, Spadones, Frigidi & cæteri* ad procreationem Sobolis inepti. Non jure his annumerantur *Sacerdotes, Monachi, Moniales, &c.* in quibus finis matrimonii non deficit. Tamen Polygamia non est legitimum matrimonium, nec in Iudæis approbata fuit Levitic. 18. Ψ . 18. Malac. 2. Ψ . 11. Transitio viduorum, & viduarum matronarum ad vota secunda, non est Polygamia. Matrimonium debent antecedere sponsalia, & ea sequi repromissio futurarum nuptiarum, idque solemnitate confirmatur, hierologia, i. e. bene dictione sacerdotali consecratur, toro conjugali obsignatur. Sic Uxor transit in potestatem mariti, quem mutantem forum domiciliumq; debet sequi, nec eo invito quicquam vovere, vel quippiam in familia constituere, nam Maritis in vitas Uxores coërcendi potestas data est, ut illas in ordinem redigere possint: quævis *domare, Conjugis in gentes animos linguamq; procacem, Hercules est decimus tertius ille labor*. Coniugalis Societatis vinculum aliquando ante sponsalia solvitur, & tum Repudium, aliquando

quando post, & tum Divortium dicitur. Repudium oritur ex illegitimo contractu quem faciunt *Pubertas, furor gradus prohibiti, morbi incurabiles, &c.* Divortii unica causa à Christo assignatur *fornicatio nēpe*, seu *adulteriū* cui accedit desertio malitiosa. Ex nexu conjugalis Societatis oritur altera Societas, quæ est inter Parentes & Liberos; Potissimum officium est Parentum, alere, nutrire, educare & bene instituire suos liberos. Unde *Matres propriis Uteribus tenentur lactare filios & filias quas cum natura Matres esse jusserit, nullus pudor Nutrices fieri vetabit.* Pugnat enim cum storge materna sine gravi causa ad ubera vilissimæ, vel, ut sæpe contingit meretricis mulierculæ admovere liberos. Insuper Parentes suos liberos tanquam Reipubl. Elementa, quo ad victum, amictum, & alia vitæ necessaria tam diu procurare debent, donec se sustentare queant. Immeritos, & indignos filios justis de causis etiam exhæredant, sed jus vitæ & necis super illos non exercent, sævitia etiam disciplinæ moderata correctione temperanda est. Interim liberi Parentibus *obedientiam & reverentiam* debent ac senio confectos alere & quasi nutrire tenentur. *Tertia Societas* est inter Dominum, & Servum vocaturq; *Asimonas*, seu Herilis, & natura hanc Societatem constituit, cum quidam Domini nascantur, quidam verò Servi. Kekerman. disput. pract. 28. problem. 31. *Dominus* ille est, qui omnia jure libereque agit & agere potest. *Servus* qui ex alterius imperio. Cic. in Paradox. omnes sapientes liberos, & insipientes servos appellat. Servi fiunt vel Jure Gentium, vel Civili. Jure Gentium in Bello capti, & ex ancilla nati. Olim Dominis erat jus vitæ & necis in servos, quos etiam levi de causa occidebant. Senec. de Ira. Servi jure veteri nihil sibi acquirebant, in actionibus & muniis Civilibus pro nullis habebantur, neque in judicio stare poterant. Sed ætate Christianorum illa mitigata, & ex parte etiam sublata sunt, Hodie autem servitutis variæ sunt species,

cies, nam quidam homines gloriæ ita adstringuntur, ut eam
invitis Dominis deserere non possint.

XIV.

Amplificatio & Conservatio Reipubl. tota pendet ex
Civium, Imperantium, ac subditorum *natura, educatione &*
experientia. A natura lux primigenia & morum lineamen-
ta secundum temperamenti constitutionem cuique infun-
di solent: si quid tamen horum innata virtutis donorum de-
ficiat, Doctrinæ documentum naturæ erit medicamentum.
Primum ergo felicitatis Politicæ fundamentum ex educa-
tione tanquam ex aliquo fonte manat, ita ut ea curata diu-
turna Regnorum perennet Juventus, neglecta vero imma-
tura præcedat senectus. Educatio est illa animi cultura, quæ
si accurate exerceatur, menti splendorem, rationi impe-
rium, libertati leges, affectibus frænum, corpori denique
pulchritudinem addit, alit mores egregios ut mater, fovet
leges ut Nutrix. Hinc ex educatione nati boni mores ubi
florent, ibi Respubl. etiam florentissima, ubi valent, ibi po-
tentissima, ubi vernant spectatissima est. In Principibus
Majestatem, in subditis felicitatem summam, in Imperio
potentiam eximiam efficiunt. Hinc *bonos mores plus va-
lere, quam bonas leges recte commemorat Tacit. de morib.*
German. Diversæ fortis & fortunæ personarum diversa
quoque educandi ratio habenda est, in primis autem ad
Reipubl. commodum natos, ac Principes extra parasito-
rum, & omni peste nocentiorum Adulatorum Aulicorum
turbam, educare præstat, etiam paululum à latratu canum
venaticorum à stabulis equorum aliisque Aulæ delitiis
transferre conducit. Neglectus educationis hodierni status
Rerumpub. ruinæ evidentissimum præsagium est: incultus
enim & male educatus Princeps Reipubl. corruptio, Im-
perii perniciēs, denique subditorum lupus, & qui pastor se-
dulus.

dulus, Pater optimus esse debebat, non nisi pestilentia & venenum Regni est. Ad honestam educationem tria requiruntur. 1. In pueritia bene moratus & sapiens Magister. 2. In Adolescentia fidelis Pædagogus. 3. Pro utraque exercitium viro dignum. Quandoquidem verò à *Natura* ingenium ab *Educatione* honestatem, ab *Arte* industriam & virtutes accipimus, ars à natura materiam, natura ab arte formam solet semper mutuari. Ad formandos bonos mores, artes & scientiæ sunt optimi Duces, cum sint vitæ adjuncta, ornamenta & delectamenta: Summè necessaria tamen notitia philosophiæ moralis omnibus Rempubl. administraturis est: nam secundum illam vitæ actiones compositè dirigere, & officia apposite componere possunt. Postremum *Experientia* felicitatem Reipubl. ad auget, illa enim faxmentis, anima prudentiæ & voluntatis norma est. Duplex verò experientia. Una generalis, quam seculi labentis patrens ævum peperit. Altera specialis à singulis privata vitæ casibus comparata. Utraque prudentiam parit & dexteritatem gignit. Veterum res gestas ex historiis sæpe revocare in memoriam, Politici maxime interest, à præteritis enim futurae actiones addiscuntur, quippe majorum virtutes documenta posteritatis sunt. Cum autem præteritarum rerum actores consulere non licet, loquetur charta, docebitque eventus, Historicos præsentibus ac futuris præsidium esse. Hinc ille prudentior atque eruditior ad Rempublicam accedit qui studiosius historiæ thecas, gestarumque rerum armaria scrutatur, tanquam assiduus prudentiæ alumnus, & annalium scrutator. Historia naturæ defectum supplet, nam Regionibus, quibus corpore nunquam licet, animo frui efficit, ingenia acuit, mores demulcet, mentem elucidat, memoriam ditat, consilii suavitate indociles mollit, Civili otio aptos, militari negotio promptos reddit, quod alii non audent, loquitur, quod silent dicit. Itaque experientiam historiarum

istoriarum lectione ornare, regendi exercitio & sapientum consortio Principem maxime decet. Si semel Illustrium memoria & laudabilis rerum duratio periret, unde humanæ actiones viverent, non haberent. Itaque si experientia ad contemplationem rerum in vasto mundi volumine occurrentium extendatur, si natura, sedula educatione, & honestis artibus adjuvetur habebit Respubl. unde sibi beatitudinem polliceatur, & tum in pace, tum in armis, felicitatem. Inde inter cives virtutum major quam generis aut opum æstimatio erit. Nam *Et genus, & Proavos & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra putò. --- Virtute enim decet non sanguini niti.* Denique sic omnia sponte fluent nec erit violentia rebus quæ Deus Ter. Opt. Max. cui omnia possibilia faxit. Et de Republica tantum.

A N N E X A.

I.

Leges non tollunt libertatem, sed eam promovent.

II.

Princeps est solutus legibus, non tamen naturalibus, neque Divinis Deut. 17. non etiam gentium, sed Civilibus, iisque coactivis non directivis.

III.

Ordo Iesuiticus jure pro scriptus est Regno Transylvaniae juxta constitutionum Regni, & Partium Hungariæ Titulos II. & III.

Gura

IV.

Cura Religionis pertinet ad Principem.

V.

*Nobiles jugo Turcarum subiecti non amittunt
nobilitatem.*

VI.

*Malè Iulianus Cardinalis Vladislao Hungariae
& Poloniae Regi persuasit Turcis Fidem non esse
servandam.*

VII.

*An rectè S. Ladislaus Hungariae Regnum,
D. Mariae Testamento legavit? Neg.*

VIII.


An fuga in persecutionibus sit licita? Affir.

F I N I S.



Ad Politissimum
RESPONDENTEM.

I Liacas Geticasque domos peragraffe remotas
Non satis est. Alibi peregrinos discere Soles
Non satis est. Bataurum nascentes lictore Musas,
Qua Vestia in medias Nerei raptata paludes,
Tot frenat claustris constrictam compede Thetyn.
Cuncta haec, non satis est vidisse in imagine nuda,
Querere sed satis est cunctans primordia rerum,
Arcanasque vias Sophie penetrasse latentis.
Hoc satis est. Tua jam virtus quod te impulit ultro.
Maeste modo! hoc virtutis opus virtute repondet
Ipsatibi virtus. VALE JUSTITIAMQUE tuere!



L. M. Q.

BARTHOL. BAUSNERUS, Schasburga.

SAXO Transilvanus.

P I N I S.